

1523

Dum hæc agerentur, Gallorumque cœptis fortuna adspira-  
ret, Senatus Leonardo Haimo Legato mandaverat, ut cum  
quadrincentis cataphractis, ac trium millium peditum nume-  
ro, Ollio trajecto, in Abduanam glaream profectus inter Ber-  
gomatum, ac Cremensium fines opportuno ad utrasque urbes  
subveniendas loco castra haberet: ad Cremam, quæ magis  
patere hostibus videbatur, tutandam Christophorus Albanen-  
sis, ac Burghesius ductores cum trecentis peditibus subsidio  
missi fuere. Sed cum nondum Urbinas in castra venisset, &  
Galli inter Binascum, & Abiatum, duodecim a Mediolano  
passuum millibus, castrametati fuissent, cunctabundus Legatus  
rem trahebat. Ceterum præclare gerendæ rei opportunitas,  
vel negligentia, vel copiarum omnium ad Ticinum amnem  
cogendarum studio, e manibus Gauferii effluxit. Dumi enim il-  
le in ulteriore fluminis ripa substitisset, Columnæ, Mediolan-  
ensemque animi in meliorem spem erecti, omissis de relin-  
quenda urbe consiliis, excipere, ac sustinere ingruentes Gal-  
los decrevere. Quapropter, quæ ad Mediolanum retinendum  
idonea videbantur, summo studio perficere, præteritamque fo-  
cordiam virtute, ac diligentia corrigere: aggeres lapsos refi-  
cere: Italicum peditatum augere: commeatus intra mœnia  
convehere: ad arma sæpius, atque ex improviso conclamare,  
ut quid spei, præsidiique in civibus reponendum fore, inno-  
tesceret. Quo factum est, ut brevi duodecim peditum millia,  
præter cives, in armis essent; ad hæc, ut Ticinum, ac Cre-  
mona præcipue Insubrum urbes hostium vim repellerent. An-  
tonius Leva cum valida militum manu Ticinum missus; Cre-  
mona mille peditum præsidio aucta fuit: tribus egregie mu-  
nitis urbibus, nihil a Gallis Columna pertimescendum ratus.  
Gauferius cum triduum in colligendis militibus operam impen-  
disset, atque inter Binascum, & Abiatum oppida copias col-  
legisset, Mediolanum versus proficiscitur, ac inter Romanam,  
& Ticinensem portam tormenta admovet: sed nimis arduam  
se aggressum rem conspicatus, externis militibus, atque arma-  
ti populi numero subnixam urbem omnem impetum egregie  
excepturam, oppugnatoresque propulsaturam fore, gradum re-  
troagere, expugnationis consilium deferere cogitur. Inde in-  
ter Laudensem, Ticinensemque viam positis castris, ad Mo-

doe.